

## BIJLAGE II.

### TESTIMONIUM AFGEGEVEN DOOR PETRUS BERTIUS <sup>1)</sup>.

---

Gaspar Barlaeus Antverpianus, Alumnus Illustriss. DD Ordinum Hollandiae et Westfrisiae, ijs est animi dotibus praeditus, ea virtute, eruditione, modestiâ, pietate, ut summam de se spem concitarit apud eos qui ipsum norunt. Kal. Novembris Anni 1600 disciplinae nostrae feliciter commissus est ab Amplissimo Reip. Gertrudisbergensis Senatu. Etsi vero jam tum praecultus esset quibusdam linguae utriusque initijs, tamen ex eo tantum (Christo communibus laboribus benedicente) profecit, ut in Graecis ac latinis litteris, inque Philosophiae studijs aequales omnes superaret. Si carmen scribendum esset miram adhibebat dexteritatem; si oratio, gravitatem; si disputandum, subtilitatem et acumen. Postea in sacra Theologia totum se triennium gnaviter exercuit, legendo, meditando, disputando, scribendo, proponendo, etiam publice pro concione dicendo. Mores habet ad omnem elegantiam et pietatem compositos ac supra aetatem graves. Faxit Christus, unus ille Ecclesiae suae ἀρχιποιμὴν καὶ ἀρχιερέως, ut virtutum magnarum quae in ipso sunt initia incrementa capiant ad salutem multorum et Dei gloriam: ne vel spes praeclara occidat, vel conatus laudabiles primo impetu retardatj, cum jacturâ publicâ evanescant. Dat. Lugd. Bat. in Collegio Theologico Ill. Ordd. 4 Sept. A° 1606.

P. Bertius.

---

<sup>1)</sup> Het stuk bevindt zich in het Leidsche gemeente-archief. Een testimonium van BERTIUS, gedateerd van 31 October 1606, is in het bezit der remonstrantsche gemeente te Rotterdam (Vgl. *Catalogus van handschriften op de bibliotheek der remonstrantsch-gereformeerde gemeente te Rotterdam*. Amsterdam, Y. Rogge, 1869, no. 255). Misschien werd het afgegeven bij het verzoek van BARLAEUS om uit het College te worden ontslagen, wat 1 November werd toegestaan. Er zijn maar enkele afwijkingen in van het hier afgedrukte stuk.

---